

tionibus perpetuis sit subiectum, aut tantum faciat ad augendos animae cruciatus, et in summo voluntatis erga DEVM odio, auersatione, blasphemia, quae orientur ex intuitu DEI ipsis perpetuo irati, et de cuius gratia ne spem quidem ullam habere poterunt. *Probatur*

I. *Ex clarissima scripturae littera*, quae tenebras mentis et voluntatis summas eis attribuit. Quae tenebrae in nulla re alia, quam deprauatione intellectus et voluntatis consistere possunt. 2. Petr. II, 4. Iudae versu 6.

II. *Ex naturalis rationis ductu*. In eo enim summum hominis, qua homo est, malum consistit, quod est corruptio et deprauatio nobilissimarum hominis potentiarum, intellectus nempe et voluntatis. Caetera enim omnia damnati, quae statum ipsorum infelicem reddere possunt, etiam cum bestiis communia habere possunt.

§. 31. Vt autem in ipsa poena infernali quoad essentiam omnes damnati aequales erunt, ita in accidentibus illius poenae graduum differentiam esse, non est improbabile. Cuius rei argumenta iam supra, ubi de gradibus gloriae actum fuit, compauerunt.

*De gradibus poenarum infernalium.*

§. 32. *Praxis* articuli in eo consistit, ut nostrae mortis perpetuo mem-

*Praxis articuli.*

mo-